

Nº 4001 *

PROPOSITIO
NES ASTRONOMICAE
DE DIERVVM ET ANNORVM
Differentijs & caussis publicè ad dispu-
tandum in alma Academia

I V L I A

3934/39

propositæ à

M. DVNCANO LIDDELIO SCOTO,

de quibus respondebit

JOANNES POTINIUS VERDENSIS.

Erit disputatio Deo auspice 19. Iunij.



HELMSTADII

Excudebat Iacobus Lucius. Anno 1591.

Dn. M. Ilencio, amico suo

Thef. I.

Tempus licet motus non sit, sine motu tamen esse non intelligitur, & motus vicissim sine tempore non cognoscitur. Dependet enim à motu tempus, & in perpetuo fieri similem partium continuationem habet. Mensuratur tempore secundum prius & posterius motus. Nam dum certa motus cœlestis quantitas absoluitur, pars aliqua determinata temporis fluxisse intelligitur, qua velut vlna sæpius repetita, motus motuumq; durationes numeramus.

II.

Quia vero res mensurata mensuram vicissim monstrat, reciproco vſu motus temporis continuationem mensurabit, ut quantum temporis, tanta motio, & quanta motio, tantum temporis fluxisse videatur.

III.

Non tamen ratione cuiusq; motus tempus à nobis perfectè cognoscitur, sed illius qui velocissimus maximè uniformis & conspicuus. Velocissimus autem maximeq; uniformis est diurnus ille, quem νυχθημέρων vocant, maximè conspicuus est solaris, deinde lunaris.

IV.

Nam motu illo communi & diurno sois, dies intelligitur, & motu proprio in Zodiaco annus. Motu vero Lunæ proprio mensis absoluitur: quibus tribus temporibus eorumq; partibus Astronomi ciuilium temporum quantitatem determinant, & omnes motus motuumq; durationes mensurant. Verum mensibus relictis, illorum annorum & dierum, qui aliorum omnium norma sunt, differentias & caussas considerabimus.

Ac primo dies duobus modis sumitur: uno quatenus à nocte distinguitur: alio, quatenus noctem comprehendere poiet

L 39

potest. Hic νυχθημέρα dies ciuilis, Astronomicus, & aliquando naturalis dicitur: illa artificialis & à Censorino etiam naturalis.

V I.

Est autem νυχθημέρα dies naturalis spaciū temporis, quo sol motu primo circumactus adeundem meridianum & horizontem, vnde digressus est, redit.

V II.

Quia vero interea dum sol hanc reuolutionem compleat motu proprio, in oppositum aliquid superadditur, in æquatore temporis, & motus regula, dies ille determinatus integrā reuolutione constabit, & tanta particula, quanta in horizonte vel meridiano motui solis proprio correspondet.

V III.

Hanc particulam additamentum vocarunt, quæ licet inæqualis sit, indies tamen collecta, annuo spacio circulum absoluit.

I X.

Nam duæ sunt caussæ primariæ, cur hoc additamentum sit inæquale: una, inæqualis motus solis in Zodiaco: altera, adscensionum inæqualitas, qua æqualibus Zodiaci arcubus inæquales æquatoris correspondent.

X.

His alias quatuor inferiores caussas addidit Copernicus, licet per omnia calculus eius obseruationibus non consentiat: Eccentricitatis nimirum & absidum solis mutationem, quæ duo modum solis variant, tertio obliquitatis Zodiaci mutationem, quæ adscensiones auget vel minuit, ac quartò præcessionum æquinoctiorum inæqualitatem, quæ utriq; se admiscet.

X I.

Quare νυχθημέρα inæqualis erit, & certa temporis mensura esse nequit. Proinde in hac inæqualitate medium additamentum æquale medio motui solis Astronomi excogitarunt, & medium siue æqualem diem ab apparente distinxerunt, qua velut certa norma & mensura motus numerarunt.

A 2

Desini-

XII.

Definitur autem ille dies medius reuolutione æquatoris & ea insuper particula, quæ æquali motui solis correspondet: sed dies apparenſ eiudem reuolutione & illa particula, quæ cum vero motu solis in horizonte aut meridiano conſcendit.

XIII.

Horum differentia quamuis permodica sit, nec statim percipiatur, multiplicatis tamen diebus aliquot in euidentiam coalescit, & ad meridianum cadem omnibus est: in horizonte vero pro sphæræ obliquitate varia vbiq; reperitur.

XIV.

Quare Astronomi diei naturalis initium, neq; ab ortu neq; ab occasu sumperunt, sed vel à meridie vel à media nocte, vbi inæqualitas minor est.

XV.

Dies naturalis habitantibus extra circulos polares in diem artificialem & noctem semper dirimitur. Est autem dies artificialis tempus, quo solis centrum supra horizontem moratur: & nox, quo infra occultatur.

XVI.

Habitantibus autem intra polares circulos dies ille artificialis sicut & nox, pro arcus Zodiaci, qui nunquam occidit vel oritur magnitudine, plures dies ciuiles aliquando continere solet, adeo ut sub polis, vbi Zodiaci vna medietas nunquam decumbit, altera nunquam emergit: dies artificialis & nox non aliter integrum annum solarem absoluant, quam extra polares diem ciuilem.

XVII.

Nam habitantibus extra circulos polares reuolutio illa diurna solis in duas partes semper secatur, & arcus ille æquatoris, qui cum semicirculo Zodiaci quovis die oriente ascendit, diem artificialem, reliquum noctem definit.

Hi ar-

XVIII.

Hi arcus similes & æquales vbique non sunt, ac proinde dierum artificialium, & inter se, & pro locorum diuersitate, magna varietas est, cuius duæ sunt præcipuae caussæ.

XIX.

Vna obliquitas Zodiaci, qua sol ad polum boreum vel austrinum declinans pro varia declinatione alios & alios circulos parallelos describit, quorum omnium centra in axe mundi sunt: altera varia locorum latitudo, & diuersus horizontis situs, parallelos illos excepto æquatore inæqualiter secantis.

XX.

Ac proinde sole in æquatore existente in omni terra, nisi vbi polus vertici incumbit, dies noctibus æquales sunt, & sub polis dies in noctes aut contrà commutantur.

XXI.

Deinde habitantibus sub æquatore, quia illorum horizon, in cuius plano est axis mundi, parallelos omnes æquiter secat, dies noctibus æquales semper sunt.

XXII.

Quorum autem vertices extra æquatorem ad alterutrum polorum declinant, magnam dierum & noctium varietatem habent. Nam pro illius declinationis magnitudine centra parallelorum utrinque à plano horizontis discedunt, & ipsorum horizon pro poli, quam habent eleuatione, parallelos in partes inæquales secat, adeo ut paralleli, qui polo eleuato propiores sunt, maius segmentum supra horizontem maioresq; dies habeant.

XXIII.

Quare quibus polus boreus attollitur ab initio Capricorni dies continuò augentur, donec sol initium Cancri attigerit, vbi dies maximi sunt, & vicissim ab initio Cancri ad Capricorni pari ratione decrescant. Sed in signis septentrionalibus

nalibus superant, in meridionalibus superantur à noctibus.
Cuius contrarium illis quibus polus austrinus attollitur,
contingit.

XXIV.

Diem Astronomi in scrupula & horas partiuntur, & si-
c ut dies duplices sunt ita & horæ: Aliæ sunt vicesimæ
quartæ diei naturalis partes, quæ quia in æquatore nu-
merantur æquinoctiales & æquales dicuntur. Aliæ duode-
cimæ diei vel noctis artificialis, quæ ob id inæquales dicun-
tur, & nonnunquam temporariæ, & quod singulis planetis,
singulæ tribuantur, planetariæ etiam vocantur, ac in Zodia-
co numerantur. Hactenus de diebus.

XXV.

Annus apud veteres multiplex & varius fuit. Nam re-
volutionis cuiusq; stellæ tempus nonnulli annum vocarunt,
& annum Magnum aliqui introduxerunt, in cuius quantita-
te multum variant, ac apud varias gentes in anno ciuili mul-
tiplex discrimen fuit.

XXVI.

Verum Astronomi annum propriè definiunt spaciū
temporis, quo sol motu proprio ad idem punctum vnde di-
gressus est, reddit. Punctum autem illud vel est ecclipticæ vel
sphæræ fixarum. Proinde duplex est annus. Alius tropi-
cus, qui quaternas vicissitudines annuas temperat, & natu-
ralis quoq; ob id dicitur, tempus quo sol ad idem ecclipticæ
punctum reddit. Alius sydereus, quo sol ad eandem sub orbe
fixarum stellam vel punctum reuoluitur.

XXVII.

Vertentem autem annuæ æqualitatis normam esse Pto-
lomeus existimauit, & multiplicium differentiarum, quæ in
eo occurrunt, ignarus, revolutionis solaris æqualitatem ad
aliquam fixarum non aliter congruere, quam si à Saturno vel
Ioue sumeretur.

etudien

§ A

Verum

XXVIII.

Verum qui Ptolomeum secuti sunt, annum vertentem non modo sui dissimilem esse viderunt, sed & sydereos magis inæqualem, & pro præcessionis æquinoctiorum inæqualitate quantitatem variare.

XXIX.

Quare primum Thebit, & longè post eum Copernicus annuæ solaris æqualitatem, à non errantium sphæra sumperunt, & illam vertentis anni inæqualitatem æquinoctiorum occursu breuiore tardioreq; ac proinde comparatione quadam ad annum sydereum explicarunt. Syderei vero anni quantitatem definit Thebit 365.dierum 6.hor.9.scrup.pri. 12.sec. Copernicus 26.scrup.sec.horæ maiorem.

XXX.

Non tamen sydereus omni inæqualitate caret, sed ob primam & annuam solis anomaliam, & secundam, quæ hanc variat, excentricitatis nimirum & absidum solis mutationem aliquam diuersitatem habet, quæ etiam in anno vertenti occurrit, licet exigua sit in comparatione ad eam, quæ inæquali æquinoctiorum præcessione efficitur.

XXXI.

Nam quatuor sunt caussæ inæqualitatis anni vertentis, quarum prima est inæqualis æquinoctiorum præcessio, altera annua solaris anomalia, tertia excentricitatis, & quarta absidum solis mutatio, quarum omnium secunda Ptolomeo tantum nota fuit, quæ per se sine cæteris annum non variat. Quare anni tropici magnitudinem 365.dierū 5.hor. 55.scrup.sec. 12.scrup.sec. sine vlla mutatione manere arbitratus est.

XXXII.

Qui vero post Ptolomeum pro inæquali æquinoctiorum præcessione annum hunc inæqualem esse cognouerunt, medium ecclipticam excogitarunt, & simul in ea inæqualitate annum medium, quem ab apparenti & inæquali distixerunt.

Nam

XXXIII.

Nam annum medium vocant tempus, quo sol ad medium æquinoctium redit, quod continet dies naturales 365. 5. Hor: 49. scrup. pri: 15. sec. 46. ter: apparentem autem & verum annum, quo sol ad verum æquinoctium revolvitur, quod pro præcessionum inæqualitate citius vel tardius fit.

XXXIV.

Horum annorum differentia quamuis permodica sit, nec subito sentiatur, multorum tamen annorum spacio in evidentiam aliquam euadit, & in ciuili anno Iuliano, quo hodie utimur, tantam inæqualitatem & diuersitatem parit, ut de certa, & accurata aliqua æquatione in Calendario nouo Gregoriano frustra laboretur.




XXXV.

Quæcumque in aliis annis diuersitas anni in aliis annis inveniatur, non potest esse nisi in annis intercalari, quod in aliis annis non potest esse nisi in annis intercalari.

E 46
AB: 56676



56.

The image shows the front cover of an antique book. The main surface is covered in a rich, red marbled paper with a dense, wavy pattern. A vertical strip of yellow paper with a decorative border is pasted onto the right side. The number "No 40" is printed twice on this yellow strip, once near the top and once near the bottom.

No 40

No 40

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

PROPOSITIO
NES ASTRONOMICAE
DE DIERV M ET ANNORVM
Differentijs & caussis publicè ad dispu-
tandum in alma Academia
IVLIA

*propositæ à
M. DVNCANO LIDDELIO SCOTO,*

de quibus respondebit

IOANNES POTINIVS VERDENSIS.

Erit disputatio Deo auspice 19. Iunij.



HELMSTADII

Excudebat Iacobus Lucius. Anno 1591.

Dn. M. Ilencio, amico suo